



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Quomodo vnus Christus. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

Quam ob causam exinanitum dicatur Dei Verbum.

CAP. V.

PLENUM secundum naturam, & ex omni parte perfectum Deum Verbum, & distribuens ex sua plenitudine bona sua creaturæ, exinanitum dicimus, nihil in natura propria violatum, nec ut aliter se haberet commutatum, nec inferius ex vlla parte factum. Inconuertibile enim & immutabile est ipsum quoque, sicut generator ipsius, & nunquam fuit passionis vllius capax. Quod vero factum sit caro, id est homo, eo quod ait: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*; humanitatis paupertatem propriam fecit: primum, quia semel homo sit factus, et si remanserit Deus; deinde, quod serui formam accepit, qui secundum suam naturam liber est, utpote filius: & cum ipse sit gloriæ Dominus, gloriæ dicitur accipere: cum sit ipse vita, viuificari dicitur: & in omnes accepit potestatem, cum sit ipse rex omnium: cum Deo simul & Patri obediens fuit, crucem est passus. Verum cum hæc quidem humanitatis mensuræ conueniant; tamen ea familiaria ducit esse cum carne, & implet dispensationem, manens quod erat.

Quomodo vnus Christus. CAP. VI.

DIVINVS Paulus scribit: *Etsi sunt dii multi, & domini multi in celo & in terra; sed nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex eo; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per eum.* At vero sapientissimus Ioannes de Deo Verbo dixit, quod omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil. Euangelizabat autem beatus Gabriel sanctæ Virgini, dicens: *Ecce concipies in utero, & paries filium; & vocabis nomen eius Iesum.* Cum igitur per Christum Iesum omnia diuinus Paulus facta esse commemoret; confirmet autem vim sententiæ, & opificem omnium fuisse Deum euangelizet, rem veram dicens, euangelista diuinus; designet autem etiam angeli vox, vere ex sancta Virgine natum esse Iesum Christum: nec absque humanitate intelligimus Deum Verbum, sed vnum dicimus ex ambobus effectum, & Deum hominem factum; eundem ex Patre, ut Verbum, natum diuine; & ex muliere humane, ut hominem: non tamquam in secundum substantiæ initium vocatum, tunc cum secundum carnem dicitur natum; sed natum quidem ante omnia sæcula, stante tamen tempore quo debuerat implere dispensationem, natum etiam ex muliere secundum carnem. Ergo etsi alii simili appellatione vocati sunt christi; vnus tamen est, per quem omnia, Iesus Christus: non quod homo sit factus opifex omnium, sed quod Deus Verbum, per quem omnia facta sunt, similiter ac nos participarit carni & sanguini, & nuncupatus sit homo, non tamen perdidit esse quod erat. Ita enim & in carne factus, intelligitur merito opifex omnium.